

D. HUBERTI  
GIPHANII IC.  
PRÆSTANTISSIMI, AN-  
TECESSORIS NOBILISSIMI,  
SACR. CÆSAR. MAJEST.  
Confil. Laudatissimi.

IN QUATUOR LIBROS IN-  
STITUTIONVM IVRIS CIVI-  
LIS IUSTINIANI  
PRINCIPIS

COMMENTARIUS ABSOLUTISSIMUS  
POSTREMA HAC EDITIONE EX MANVS CRIP TIS,  
*Et eo præcipue exemplari, quod auctor ipse typis destinaverat, magna cura emaculatus  
atque à mendis liberatus.*

Huic accedunt ejusdem auctoris  
I. DE IMPERATORE JUSTINIANO COMMENTA-  
rius elaboratissimus: temporibus nostris maxime necessarius. II. Rerum Ro-  
manarum index historicus, ad juris civilis historiam cognoscendam  
inprimis utilis.

*In fine adjectus est index rerum & verborum copiosissimus.*

Es del Colegio de los  
Angeles de  
Salamanca.



ARGENTORATI.  
Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI  
ANNO M. D. C. XXIX.

*Biblioteca de Historia de San Carlos de la P.  
Joa. C. D. Vidua de la P. de la Calle.*

# IOANNI GIPHANIO BARTHOLOMÆVS

IMMENDORFIUS S. D.

**C**UM diu multumq; cogitarem, cui Pa-  
rentis tui magni illius sc̄ti in Institutio-  
nes juris Iustiniani Cōmentarium, per  
me à mēdis, quibus prima editio referta  
fuit, quantum ex collatione ac comparatione trium  
MSS. Cod. fieri potuit, restitutū inscriberem, tu mihi,  
mi Joannes, nō sine ratione potior inter ceteros in mē-  
tem venisti. Gratissimo enim animo retrò quasi repe-  
to & agnosco, quæ quantaq; nō à patre solum tuo, sed  
etiam à teipso, ut tui juris esse cœpisti, in me profecta  
sunt beneficia. Ante annos octodecim circiter, cū pri-  
mūm studiorum causa Ingolstadtium venissem, parēs  
illetuus ex Commendatione D. Matthiæ Indenij Viri  
egregij & patri tuo in primis cari, humanissimè me ex-  
cepit, exceptum verò aliquot septimanis post ad se pla-  
nè recepit, tibi tuisque studiis intra privatos parietes  
præfecit, & omnia publicè & privatim ad juris scien-  
tiam addiscendam necessaria abundè suppeditavit,  
modos rationesq; honestas studium hoc amplissimum  
cōmodius prosequendi in manus quasi tradidit, idq;  
per annos sex integros, donec à RUDOLPHO SE-  
CUNDO Imperatore nostro ad Consilium Imperij



# HUBERTI GIPHA- NII JC. IN INSTITUT. JURIS.

*Inscriptio vera.*

**D**omini nostri Justiniani, PP. Augusti, Institutionum si-  
ve Elementorum Libri Quatuor, compositi per Tri-  
bunianum virum Magnificum, Exquæstorem sacri Pa-  
latii, & Theophilum & Dorotheum, viros illustres  
& Antecessores. ] Nam hic est index communis totius operis, ut testan-  
tur libri manuscripti.

*Imperator Cæsar.*

**H**ic titulus itidem in libris manuscriptis ita est conceptus. In no-  
mine Domini nostri Jesu Christi, Imperator Cæsar, &c.  
Nam & aliàs solet Imperator Justinianus hanc clausulam, In nomi-  
ne, &c. suo titulo præfigere, ut in l. 1. C. de offic. præfect. prætor. afric. l. Dedit.  
C. de vet. iur. enucl. Quare non rectè illi, qui eam clausulam hinc delent, ne-  
que rectè tamen illi, qui eandem omnibus instrumentis adhibendam putant,  
sentiunt.

Imperator Cæsar ] Rectè & antiquitati convenienter hæc duo no-  
mina præponuntur perpetuò nomini Imperatoris; id tam in veteribus mo-  
numentis, ut marmoribus & numismatis; quàm in scriptis Historicorum &  
in legibus est perpetuum.

Flavius Justinianus ] Verbum Flavius est prænomen, ea ætate tam  
Imperatoribus, quàm omnibus ferè viris claris & præstantibus usitatum, ut  
videre est in fastis consularibus.

Justinianus ] Duo hoc nomine fuerunt Imperatores. De seniore sive  
priori hinc agitur: cujus vitam breviter Hotomannus; uberius nos aliàs ex-  
plicavimus.

Alemannicus Gothicus ] Tituli sunt devictarum gentium: quæ con-  
suetudo cepta olim Romæ à Coriolano, & confirmata ab Africano maxi-  
mè ab Imperatoribus postea frequentata est.

HUBERTI GIPHANII  
IURISCONS.  
DE IMPERATO.  
RE JUSTINIANO  
COMMENTA-  
RIUS:

INDEX HISTORICUS RERUM  
ROMANARUM:

*Ad*

SERENISS. PRINCIPEM D. MAXIMILIA-  
NUM, COM. PALAT. AD RHEN. UTRIUSQUE  
Bajoariæ Ducem, &c.



ARGENTORATI,

Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI.

Anno M. DC. XXIX.



# ORATIO SIVE COMMENTARIUS.

*De Imp. El. Justiniano. I.*

**S**olent plerique, Serenissimi Principes, Magnifice D. Rector, Auditores Clarissimi, qui suas in Academiis Acroases ordiuntur, earum ferè initium ab Artis aut Scholæ, quam explicare velint, laudatione quadam facere: eo, ni fallor, consilio, ut auditores atque discipuli, quibus omnino opera doctoris deservit, hæc rei, qua de agitur, commendatione, & quodam velut classico ad studium & industriam excitentur.

Quare cum & mihi superioribus diebus à Serenissimo atque Potentissimo Principe nostro Duce WILHELMO &c. ad hanc insignem Academiam Iuris in ea & docendi & respondendi humanissime arcessito, hodierna dies ab amplissimo Senatu Academico constituta sit, qua Solemne, quod vocant, Principium muneris mei incipiam, faciendum quoque videbatur, ut Iuris nostri & Civilis Scientiæ encomium aliquod ad vos adferrem. Nihil enim facile mutandum de Sollemnibus, ut optimus ait Imp. Marcus. Verum cum Civilis Scientiæ tot jam existent laudationes, ut qui eam multis verbis prædicare amplius velit, non modò inanem & molestam operam sed etiam suspectam, velut malærum institor mercium, præstiturus videbatur: dabitur, Auditores, hæc mihi veniam, ut hoc argumento jam omissò, aliud huic splendidissime Concioni & Acroasi magis accommodatum adferam. Si enim ad eos tantum, qui huic se scientiæ primum dare velint, habenda mihi esset oratio: ferri fortasse argumentum illud posset. Nunc assunt summi Principes, assunt omnium ordinum viri amplissimi, & ex his multi partim in hac Civili, partim in aliis præclaris artibus egregiè versati: assunt adulescentes Iuris studiosi, quorum tu Princeps MAXIMILIANE, verè Princeps Iuventutis familiam ducis, non Iuris tirones & dupondii, sed qui magnos jam in jure progressus fecerint. Quorum omnium nullam rationem habuisse, præsertim qui honoris mei causa tam frequentes huc convenerint, incivile sit, aut certè hominis, ut levissimè dicam, imperiti. Ne tamen à more majorum, qui pro lege habetur, longius discedam, rectè & ordine facturum me putavi, si de Iuris nostri velut auctore & conditore clarissimo Imp. Justiniano dicam, argumento fortasse vulgari & ab aliis jam occupato: sed amplo & copioso, ut aliquod velut Spicilegium ab illis relictum nobis videatur. Dicam autem breviter & capitulatim: ut brevi tēporis spatio circumscriptus:

# CUNRADI RITTERSHUSII

EPOS, AD CL. V. D. HVB. GIPHANIUM JC.

Præceptorem optimè meritum & caris-  
simum.



**H**YRSIGERI multi; ast Bacchus vix unus & alter.  
Sic Consultorum Iuris quoq; nomine gaudent  
Permuli, tituliq; cluent: Rarissima turba est,  
Cui tantus debetur honos. Namq; ardua, verè

Ardua res, majorq; putet quàm vulgus ineptum,

Iurisconsulti titulos nomenq; tueri,

Et munus complere suum, ut res postulat ipsa.

Non modò namq; decet privati juris ad unguem

Anfractus callere omnes, ut propria tecta:

Nec trepidis modò adesse reis, recteq; cavere,

Et causas agere, & justos formare libellos:

Dicere, stillicidii qua iura: mihiq; aliisq;

Quid tribuat jus, quidue neget: quo debita pacto

Persequat, atq; meas tuear quo iudice partes:

Et quæ plura suo complexu continet omne

Ius, privatorum quod respicit utilitatem.

Magna quidem hæc ( fateor ) magnasq; volentia vires

Ingenii, nec humi rep. antia pectora quarunt,

Quæis lucrum scopus est, & habendi insana cupido.

Ab pereat, quicumq; sacram Themis Eunomiamq;

Prostituit nummo, & divinam ita abutitur artem.

Non ita noster erit, quem quarimus. Ille quidem ista

Callescit: sed plura etiam majoraq;, qui vult

Iurisconsulti censeri nomine, præstet.

Publica dirigere, atq; urbes ac regna tueri

Noverit, & fines pacis, creperiq; duelli

Tempora consiliu dextris juvet atq; gubernet:

Ædera que cocant, quæ vectigalia reges

Instituunt; tollant: & cetera de genere isto:

Quæ qui conjunxit, verè hoc sit nomine dignus.

Talia Romulidum vixerunt pectora quondam:

Torquati, Mucii, Pati, rigidisq; Catones,

Sulpicii, Coruncaniq;, Scipiadæq;

Rutilii, & Sempronii, Bruti, atq; Iuventii,

Virginii, Nerva, Pompei, Antipatriq;:

Vlpiani, Pauli, Catiq; & Papiniani,

Compluresq; Sophi, memoras quos Indice docto,